

CAPITULUM 6

DE SPECIE

§1

Species autem dicitur... 3,22-4,1 . Istud est secundum capitulum huius primi tractatus, in quo Porphyrius determinat de specie postquam determinavit de genere. Et dividitur in tres partes. In quarum prima ponit aliquas distinctiones; in secunda aliquas conclusiones, ibi:¹ Planum autem; in tertia vero subiungit quaedam correlaria quae ex conclusionibus sequuntur, ibi:² assignato autem genere.

In prima parte ponit duas distinctiones, quarum secunda incipit ibi:³ assignant ergo. Prima ergo distinctio est haec, quod species dupliciter dicitur. Primo quidem modo dicitur species uniuscuiusque forma, id est: formositas et pulchritudo proveniens ex bona dispositione corporis in quantitate, colore et figura, ac membrorum proportionem debite commensurata. Secundum quam dictum est quod species Priami, Troianorum regis, digna est imperio, quoniam dignitas corporis arguit dignitatem animae, per Philosophum, II De anima,⁴ dicentem quod molles quidem carne mente aptos esse dicimus, et quia homo cetera animalia in tactu excedit, ideo prudentissimum animalium dicitur; ubi inquit Averroes:⁵ "omnis diversitas quae est in corpore quo ad compositionem membrorum est ex diversitate potentiarum animae". Ex elegantia ergo corporis a posteriori per effectum convincitur dispositio animae ad virtutes et ad felicitatem; sicut ex turpitudine corporis in proportionem membrorum, quantitate, figura et colore arguimus malam dispositionem animae ad virtutem et ad felicitatem [actum], Unde Philosophus, I Ethicorum,⁶ dicit quod non est felix qui specie turpissimus est, id est: qui corporalem formam turpissimam habet. Quia ergo Priamus pulcherrimus fuit corpore in commensurata proportionem membrorum, et in quantitate non nimis magna nec parva, et in colore medio bene mixto ex extremis, quinimmo et in figura faciei quo ad ocu

los, nasum et huiusmodi, propterea concludebatur quod ipse etiam in anima pulcherrimus erat, ex optima aptitudine ad felicitatem et singulas virtutes; talis autem est dignus imperio. Non ergo mirum si eo vivente a sapientibus dictum fuit quod species Priami digna est imperio.

Lege litteram: species autem dicitur uniuscuiusque forma, id est: formositas et pulchritudo, secundum quam dictum est 'Priami quidem species digna est imperio'.

§2

Dicitur autem species... 4,2-4 . Secundo modo sumitur species pro eo quod est sub assignato genere, eo modo quo solemus dicere hominem esse speciem animalis, eo quod animal est genus hominis. Dicimus etiam album esse speciem coloris, et triangulum esse speciem figurae. Cum enim tria sint praedicamenta absoluta, videlicet substantia, quantitas et qualitas, nobis et naturae maxime nota, super quae fundantur omnia alia praedicamenta septem, quae tantum respectiva sunt, exemplificavit Porphyrius solum de speciebus et generibus illorum trium, ut sciamus ita esse in quolibet alio.

Dicitur autem species poni sub assignato genere. 'Poni' quidem ut sit ordo inter genus et species superioritatis et inferioritatis, sic quod genus sit superius et species inferius. 'Sub assignato autem genere', id est: sub genere immediato et determinato. Immediatum quidem debet esse genus alioquin individuum esset species, quia ponitur sub genere, sed non immediate; mediat enim species inter genus et individum. Iterum, determinatum et non confusum debet esse genus respectu speciei; sicut enim individuum requirit determinatam speciem dantem sibi nomen et definitionem, non autem vagam per indifferentiam ad hoc et ad illud suppositum, ita species requirit determinatum genus indicans quidditatem eius, non autem vagum per indifferentiam et inclinationem ad hanc et ad illam speciem. Propterea ens non potest esse ge

nus, quia ex se indifferens est ad omnes species, et non magis ad unam quam ad aliam determinatur.

Lege litteram: dicitur autem species alio modo et ea quae est sub assignato genere posita, secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cum sit genus animal; album autem, id est: albedo, coloris speciem; triangulum vero figurae.

§3

Propter quid prius de specie quam de differentia est determinandum in expositione quinque praedicabilium

Notandum quod Avicenna⁷ et Albertus⁸ dubitant propter quid non statim Porphyrius determinavit de differentia et prius quam de specie, completa determinatione generis, cum differentia sit principium speciei sicut genus et magis immediata generi quam species.

Respondetⁿ quod hoc ideo, quia genus et species sunt relativa et non bene cognoscitur unum correlativorum nisi alterum cognoscatur. Illa enim scientia quae determinat de patre determinat de filio, et prius de filio quam de aliquo alio principio intrinseco filii; sic quod habita definitione patris statim est inquirenda definitio filii, ante quam aliud investigetur. Licet ergo differentia sit principium speciei, tamen propter relationem quam habet species ad genus et e contra, necesse est quod definito genere definiatur species ante quam de differentia mentio fiat.

Cum autem dicitur quod differentia est magis immediata generi quam species, hoc negat Avicenna,⁹ dicens quod genus est aliquid speciei, non autem est aliquid differentiae, propter simplicitatem ipsius differentiae; ergo maior est propinquitas inter genus et speciem quam inter genus et differentiam.

Eandem sententiam confirmat Albertus,¹⁰ dicens quod differentia non est in genere nisi potestate, species autem est in genere sicut

in continente ipsam; et ideo immediatius se habet species ad genus secundum rationem speciei quam differentia secundum rationem differentiae.

Haec omnia bene dicta sunt, sed est dubium de immediatione generis et differentiae, quoniam ambo volunt quod sicut se habet materia respectu formae et compositi, ita genus respectu differentiae et speciei. Constat autem quod forma est magis immediata materiae quam compositum, quoniam prius est forma in materia quam fit compositum ex illis.

Respondetur negando consequentiam illam 'prius est forma in materia quam fit compositum ex illis, igitur forma est immediatior materiae quam compositum', quoniam totum et pars habent maiorem immediationem invicem quam ea quorum nullum est aliquid alterius. Constat autem quod materia est pars compositi, non autem est aliquid formae neque e contra; ergo maior est immediatio inter materiam et compositum quam inter materiam et formam. Ita in proposito; quia partes sunt priores toto, ut probatur VII Metaphysicae,¹¹ necesse est quod differentia sit prius in genere quam sit species constituta ex genere et differentia. Tamen, quia genus est pars speciei, non autem est aliquid differentiae neque e contra, propterea maior est immediatio inter genus et speciem quam inter genus et differentiam.

Dicendum ergo quod prius de specie quam de differentia est determinandum. Primo ratione relationis, quoniam mutuo referuntur genus et species, differentia autem non refertur ad aliquid illorum; unde Philosophus in Praedicamentis:¹² "si quis definite novit unum correlativorum, definite novit et reliquum". Secundo ratione communicationis, quoniam genus est totum speciei et species est pars generis, secundum Porphyrium¹³ hic et Philosophum IV Physicorum; ¹⁴ constat autem quod determinationi totius est annexa determinatio partis. Tertio ratione definitionis, quia nulla definitio perfecte notificat sum definitum nisi quaelibet pars eius definita sit, si definibili est, per Philoso

phum, VI Topicorum; ¹⁵ constat autem quod in definitione generis ponitur species, quae definibilis est. Quarto ratione ordinationis, quoniam Porphyrius determinat de genere et specie non tantum definitive, sed etiam ut invicem ordinantur in recta linea praedicamentali, secundum quod apparet ex definitionibus eorum. Primo enim definiens genus dixit: "genus est illud cui supponitur species", nunc autem definiens speciem ait: "species est illud quod est sub assignato genere". Constat autem quod differentia nullum ordinem habent in recta linea praedicamentali, eo quod non est in praedicamento per se, sed tantum per reductionem. Quare etc.

§4

Quaedam dubitatio circa litteram, cum sua responsione

Circa autem litteram dubitatur, quia videtur quod haec distinctio sit diminuta. Quoniam species pluribus aliis modis sumitur: dicit autem grammaticus quod quaedam est species primitiva et quaedam derivativa; Philosophus autem, II Physicorum, ¹⁶ dicit quod forma substantialis est species, exemplum et quod quid erat esse; II vero De anima ¹⁷ quod oportet de unoquoque sensu accipere, quoniam est susceptivus specierum sine materia; III vero De anima ¹⁸ quod lapis non est in anima, sed species lapidis. Et non solum est diminuta haec distinctio absolute sumpta, sed etiam per comparisonem ad genus, cui opponitur relative. Quia dicitur, I Topicorum, ¹⁹ quod tot modis dicitur unum oppositorum quot modis dicitur et reliquum; constat autem quod Porphyrius dedit triplicem significationem generis, hic autem non dat nisi duplicem significationem speciei.

Respondetur quod Porphyrius non curat notificare omnes significationes speciei, sed tantum eas quae faciunt ad propositum suum. Sufficit autem dare unam significationem speciei civilis, per quam aliquantulum notificetur significatio speciei logicae. Dicit ^{enim} Avicenna ²⁰

quod sicut materia et principium subiectum formarum et est in potentia ad illas, ita genus est principium subiectum differentiarum et est in potentia ad illas. Sicut ergo materia appetit formam, sicut turpe pulchrum, ut habetur I Physicorum,²¹ ita genus appetit differentiam, sicut privatum sua perfectione appetit illam. Et per consequens sicut forma tollit turpitudinem materiae et facit eam pulchram, ita differentia tollit turpitudinem generis et facit eum formosum. Ecce quomodo species quae est pulchritudo et formositas corporis est propinqua speciei logicae et in parte notificat eam; quoniam sicut illa species civilis mediante debita proportione facit corpus pulchrum, ita species logica mediante differentia ultima facit genus formosum. Et licet tot modis dicatur unum oppositorum quot modis dicitur et reliquum, non tamen illi modi semper explicandi sunt, sed solum illi qui ad propositum sunt utiles; constat autem quod tres modi generis superius expressi sunt utiles ad investigandum quidditatem generis, ut patuit; nunc autem sufficiunt isti duo ad cognoscendum quidditatem speciei. Et si quaeritur quae sunt species generis civilis, dicitur quod particulares familiae totius collectionis Romanorum. Generis autem naturalis species sunt particulares homines a primo descendentes a quibus etiam alii generantur; ita quod Tantalus genus fuit et Orestes fuit species illius generis. Patriae autem species sunt villae et civitates, seu particulares domus.

§5

Quod si etiam... 4,4-7 . Contra se ipsum arguit Porphyrius sic: definitio data de genere fuit ista 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid'; definitio autem data de specie nunc est ista 'species est illud quod est sub assignato genere'; ergo definitur genus per speciem et species per genus. Quo habito, quia definitio datur causa innotescendi, ut probatur VI Topi-

corum,²² sequitur quod idem est notius et ignotius respectu eiusdem; immo quod idem est notius se ipso, ex quo definitio est circularis, definiens genus per speciem et speciem per genus. Quia si definitur genus per speciem, ergo genus est minus notum quam species; et si genus est definiens speciem, necesse est quod sit magis notum quam species; et sic idem est magis et minus notum respectu eiusdem. Iterum, si genus est magis notum quam species, et species est magis nota quam genus, sequitur quod genus est magis notum se ipso. Haec autem sunt impossibilia.

Lege litteram: quod si etiam genus assignantes in alio capitulo speciei invenimus dicentes 'genus est quod de pluribus et differenti- bus specie in eo quod quid sit praedicatur', et speciem dicimus illud quod sub genere est, sequitur circulatio in definitionibus.

§6

Nosse autem oportet... 4,7-9 . Respondet Porphyrius dicens quod non inconvenit idem esse definiens et definitum, immo necesse est in relativis quodlibet illorum poni in definitione alterius, ex quo quodlibet illorum refertur ad reliquum et sunt simul natura. Quoniam in definitione patris ponitur filius et e contra in definitione filii ponitur pater, sic dicendo: 'pater est illud quod habet filium' et 'filius est illud quod habet patrem', 'dominus est illud quod habet servum' et 'servus est illud quod habet dominum'. Constat autem quod genus et species sunt correlativa, eo quod genus est speciei genus et species est generis species.

Lege litteram: nosse autem oportet quoniam et genus alicuius speciei est genus et species alicuius generis est species, idcirco necesse est in utrorumque rationibus, id est: definitionibus, utrisque uti, scilicet genere et specie.

§7

De definitione relativorum invicem

Notandum quod de definitione relativorum invicem sunt duae opinio-
nes famosae. Prima opinio est Avicennae in Logica²³ sua, dicentis
quod nullu^m relativum per suum correlativum definiri potest. Et contra
dicens Porphyrio inquit quod dicens unum relativorum definiri per al-
terum non percipit differentiam inter notum esse cum alio et esse no-
tum per aliud; quia unum relativorum est simul notum cum alio, ex quo
sunt simul natura, sed nullum relativorum est cognitum per aliud, alio-
quin idem esset notius et ignotius respectu eiusdem.

Istam opinionem sequitur Burlaeus,²⁴ probans quod nullum relativum
potest definiri. Quoniam illa non est definitio alicuius per quam non
potest homo certificari de definito; sed per definitionem relativi in
qua ponitur suum correlativum non potest certificari homo de definito;
igitur etc.

Patet consequentia cum maiori, ex quo definitio datur causa inno-
scendi. Minor vero declaratur: nam si quaeritur quid est pater, respon-
detur 'pater est ille qui habet filium'; iterum oportet quaerere quid
est filius, et respondetur 'filius est ille qui habet patrem'; et sic
non certificatur interrogans, quia semper respondetur per aequo igno-
tum.

Praeterea, quaecumque in aliqua definitione ponitur aliquod defi-
nibile, si loco illius definibilis ponitur sua definitio, illa defini-
tio est verior et expressior; si ergo in definitione patris ponitur
filius, illa definitio erit expressior, si loco filii ponitur sua de-
finitio; sed in definitione filii ponitur pater; ergo in definitione
patris ponitur pater faciesⁿ definitionem veriolem et expressiorem.
Quod est impossibile, quia non contingit idem definire se ipsum, alio-
quin idem esset notius se ipso. Primum antecedens est Aristotelis,
VIII Topicorum.²⁵ Exemplificatur autem sic: nam homo definitur per

'animal rationale', cuius genus definitur per 'substantiam animatam sensitivam'; ponendo ergo hanc definitionem loco illius generis 'animal', dicendo 'homo est substantia animata sensitiva rationalis', habebitur expressior definitio.

Ex praedictis infert Burlaeus²⁶ quod sicut nullum relativum potest definiri per alterum definitione exprimente quid rei, ita nec definitione exprimente quid nominis -cuius oppositum dicunt aliqui.²⁷ Quoniam sicut definitio exprimens quid rei notificat quidditatem definiti, ita definitio exprimens quid nominis notificat quid nomen significat. Constat autem quod unum relativum non est altero notius. Si enim quaeritur quid significat hoc nomen 'pater' et respondeatur 'significat illud quod habet filium', iterum contingit quaerere quid significat hoc nomen 'filius', et oportebit respondere 'illud nomen "filius" significat illud quod habet patrem', nulla certificatio facta est; neque per definitionem exprimentem quid nominis certificatur quid per nomen importatur.

Secunda opinio est Alberti,²⁸ dicentis quod relativa possunt tripliciter considerari, videlicet ut sunt simul natura, et ut sunt ad invicem dependentia, et ut sunt inter se aliquam causalitatem habentia. Si considerantur ut sunt simul natura, nullum eorum definitur per reliquum, quia definiens et definitum necessario habent inter se ordinem prioris et posterioris, eo modo quo principium et principiatum. Si autem considerantur ut sunt ad invicem dependentia, utrumque per aliud potest definiri et utrumque potest esse altero prius et posterius, notius et ignotius. Si enim genus per intellectum a specie dependeat cuius dicitur esse genus, oportet quod intellectus generis finiatur per speciem, et sic species prior et notior est genere; si autem e converso, necesse est quod species cognoscatur per genus et sit eo ignotior atque posterior. Et ita necesse est quod idem respectu eiusdem sit prius et posterius, notius et ignotius, non secundum

idem sed secundum diversa. Habito enim respectu generis ad speciem, notior est species ipso genere; si autem e contra habeatur respectus speciei ad genus, oportet quod genus sit notius specie. Si vero considerantur relativa ut inter se aliquam causalitatem habent, unum est causa alterius, et non e contra. Pater enim est causa filii, sed non e converso; quoniam secundum Philosophum in Ethicis,²⁹ pater aliquid sui habet in filio, filius autem nihil sui habet in patre. Quia ergo genus est causa speciei et non e contra, ideo genus non potest definiri per speciem, sed species potest definiri per genus. Illa ergo definitio quae datur de relativis secundum quod unum est causa alterius et non e contra, est sicut demonstrationis principium; illa autem qua relativa per se invicem referuntur est sicut demonstrationis conclusio.

Istarum opinionum prima multis non est grata, quia contradicit Porphyrio. Secunda autem rationabilis est, quia salvat eum; tamen est dubia in hoc, quod species potest definiri per genus et non e converso, considerando causalitatem generis ad speciem. Quoniam sicut genus est pars speciei, ita species est pars generis; et sicut genus est materia speciei, ita species est materia generis. Ex quo sequitur quod non inconvenit genus habere rationem causae respectu speciei, et species e converso habere rationem causae respectu generis. Sicut ergo potest definiri species per ipsum genus, ita potest definiri genus per speciem. Si ergo definitur filius per patrem et non e converso, hoc est quia pater est causa filii, et non e converso. Constat autem quod genus est causa speciei et e converso; ergo quodlibet illorum per alterum potest definiri.

Quia ergo non intendo cum istis contendere, sed solum intentionem Pophyrii aperire, ideo sit hoc primum documentum: aliqua sunt quorum quodlibet potest per alterum definiri. Probatur: aliqua causae sunt invicem causae, per Aristotelem, II Physicorum³⁰ et V Metaphysicae,³¹ quoniam materia est causa formae et forma est causa materiae, ambulati

tio est causa sanitatis et e converso; sed non in eodem genere causae; ergo quodlibet istorum potest per alterum definiri, sicut potest per ipsum demonstrari; constat autem quod genus habet rationem materiae respectu speciei, et species habet rationem formae; ergo genus potest definiri per speciem et species per genus. Et non solum est hoc verum in diversis generibus causarum, sed etiam in eodem genere causae. Nam Philosophus, II Posteriorum,³² vult quod vapor potest demonstrari per pluviam et e contra; et certum est quod in genere causae materialis; ergo per idem vapor potest definiri per pluviam et pluvia per vaporem in genere causae materialis, sed non respectu eiusdem suppositi. Concesso ergo quod genus habeat rationem materiae respectu speciei, et e converso species respectu generis, in quantum genus est forma speciei, quia quodlibet superius est forma sui inferioris, per Aristotelem, II Physicorum³³ et V Metaphysicae,³⁴ consequens est quod genus possit de finiri per speciem et species per genus.

Secundum documentum: aliqua sunt simul natura quae non sunt simul naturali ratione. Probatur: eadem est via a Thebis ad Athenas et e contra, licet non sit eadem ratio, per Aristotelem, III Physicorum,³⁵ ergo distantia quae est a Thebis ad Athenas et quae est ab Athenis ad Thebas sunt simul natura, ita quod statim posita una ponitur reliqua et e contra; et nulla illarum est causa alterius; igitur pro aliquo instanti intellectus potest ferri in distantiam quae est a Thebis ad Athenas pro quo instanti non fertur in distantiam quae est ab Athenis a Thebas. Patet consequentia, quia non est necesse quod intellectus simul habeat duas rationes diversas. Sicut enim potest concipere viam ut est a Thebis ad Athenas non concipiendo eandem viam ut est ab Athenis ad Thebas, ita potest contingere de illis distantiiis. Ex quo sequitur quod licet relativa sint simul natura, non tamen sunt simul naturali ratione, quia intellectus potest ferri in patrem ut est ad filium absque hoc quod feratur in filium ut est ad patrem. Quia ergo

genus et species sunt relativa et sunt simul natura, non tamen sunt simul naturali ratione, quoniam intellectus potest intelligere dependentiam generis ad speciem absque hoc intelligat dependentiam speciei ad genus et e converso.

Tertium documentum: ante omnem definitionem oportet praecognoscere quid est de definito. Probatum: ante omnem demonstrationem oportet praecognoscere quid est de suo subiecto, per Aristotelem in prologo Posteriorum,³⁶ eo quod nisi intelligatur quid per nomen subiecti importatur, numquam de illo aliquid demonstrabitur; igitur, eodem modo, nisi intelligatur quid per nomen definiti importatur, numquam investigabitur definitio illius. Ita quod definitio exprimens quid nominis semper praecedit definitionem exprimentem quid rei; numquam enim posset investigari definitio exprimens quidditatem hominis, nisi prius sciretur quid importatur per hoc nomen 'homo', videlicet quod est animal talis figurae et naturae. Ex quo sequitur quod definitio exprimens quid rei patris aut filii, generis vel speciei, praesupponit definitionem exprimentem quid nominis, scilicet 'pater est illud quod de sua substantia generat sibi simile' et 'filius est illud quod est simile alteri genitum de substantia illius', 'genus est collectio multorum habentium dissimiles operationes', 'species est collectio multorum habentium similes operationes'.

Quartum documentum: non est necesse, habita definitione unius relativi, quod pro illo instanti habeatur alia. Patet, quia pro aliquo instanti intellectus potest cognoscere dependentiam patris ad filium non cognoscendo dependentiam filii ad patrem, et e contra. Potest et etiam cognoscere genus referri ad speciem non cognoscendo speciem referri ad genus, et e contra. In illo ergo instanti habet definitionem patris absque definitione filii vel e contra, et habet definitionem generis absque definitione speciei vel e contra.

Ad Philosophum autem dicentem in Praedicamentis³⁷ quod si quis de

finite noverit unum correlativorum definite novit et reliquam, non in tendit Philosophus quod de necessitate in eodem instanti habeatur utriusque relativi definitio, sed statim habita definitione unius habetur definitio alterius, sic quod non pro illo instanti, sed immediate post illud. Dicit enim Philosophus, I Posteriorum,³⁸ quod principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus; non tamen in eodem instanti in quo cognoscimus quid importatur nomine 'totius' et nomine 'partis' scimus quod omne totum est maius sua parte, sed immediate post illud instans. Cognito ergo quod pater est animal habens filium, immediate post illud instans cognoscitur quod filius est animal habens patrem. Et si in aliquo instanti primo cognoscitur quod genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie, immediate post illud instans scitur quod species est illud quod ponitur sub assignato genere.

Dicendum quod relativa, sive sint simul natura, sive ad invicem de pendeant, sive invicem aliquam causalitatem habeant, quodlibet illorum per alterum cognoscitur et definitur. Quodlibet enim relativorum, ut colligitur a Philosopho, VII Metaphysicae,³⁹ habet habitudinem termini a quo et habitudinem termini ad quem. In eo quod pater refertur ad filium, pater habet habitudinem termini a quo et filius habet habitudinem termini ad quem; in eo vero quod filius refertur ad patrem, filius habet habitudinem termini a quo et pater habet habitudinem termini ad quem. Et quoniam motus magis cognoscitur per terminum ad quem quam per terminum a quo, ut habetur V Physicorum,⁴⁰ ideo pater ut habet habitudinem termini a quo cognoscitur per filium ut habet habitudinem termini ad quem, et e contra. Et idem est dicendum de genere et specie. Neque inconvenit quod idem respectu eiusdem sit magis et minus notum diversimode sumptum. Non tamen unum eorum est altero prius in esse relativo, sed solum in esse causali. Unde, si pater est filius est, et e contra, intelligendo per patrem et filium utrumque sexum; et si intellectus habet cognitionem unius relativi, necessario habet

cognitionem alterius, licet non necessario habeat definitionem unius si habet definitionem alterius. Propterea debuit dicere Avicenna quod unum relativum definitur per reliquum, non autem quod definitur cum alio; ait enim Aristoteles, VI Topicorum:⁴¹ "si quis definiens aliquid eorum quae sunt ad aliquid et non assignet illud ad quod dicitur, male definit".

Ad primum argumentum Burlaei dicitur concedendo quod definitio datur causa innotescendi. Et si quaeritur quid est pater, respondetur quod est animal habens filium; si iterum quaeritur quid est filius, respondetur quod est animal habens patrem; et si certificatur interrogans. Neque respondetur per aequae ignotum, quia pater ut dicit terminum ad quem est conceptus magis notus quam filius ut habet rationem termini a quo, et e contra. Quilibet enim illorum conceptuum est notus per definitionem exprimentem quid nominis. Cum autem investigatur definitio exprimens quid rei, tunc quilibet illorum conceptuum ut habet rationem termini ad quem alterum notificat ut dicit habitudinem termini a quo.

Ad secundum respondetur quod illa regula Aristotelis, VIII Topicorum,⁴² est intelligenda quando definiens et definitum non sunt simul natura; constat autem quod relativa sunt simul natura. Si tamen intelligatur universaliter, dicatur quod non inconvenit unum relativum ut dicit habitudinem termini a quo definire per se ipsum ut dicit habitudinem termini ad quem. Constat autem quod definitur pater in recto dicens habitudinem termini a quo; si autem ponitur pater in definitione eius, necessario accipitur in obliquo ut dicit habitudinem termini ad quem. Quare etc.

Quaedam dubitatio circa litteram, cum sua responsione

Circa litteram dubitatur, probando quod genus et species non sunt relativa, quia relativa sunt simul natura et de praedicamento relationis, per Aristotelem in Praedicamentis;⁴³ genus autem et species non sunt simul natura, quia genus naturaliter est prius specie, cum sit principium eius. Illud enim est altero prius naturaliter a quo non convertitur essendi consequentia, per Philosophum in Postpraedicamentis;⁴⁴ constat autem quod a specie ad genus est consequentia bona, et non e contra, quia sequitur 'homo est, igitur animal est', et non e converso. Sed quod non sint in praedicamento relationis manifestum videtur, ex eo quia quod circuit omne genus in nullo genere est, per Philosophum, IV Topicorum;⁴⁵ genus autem et species circunt omne genus, quia in quolibet praedicamento sunt genera et species.

Respondet Burlaeus⁴⁶ per duas distinctiones. Quarum prima est quod genus et species possunt dupliciter accipi. Primo pro his quae principaliter significant, et sic sunt intentiones in anima, communes generibus et speciebus cuiuscumque praedicamenti; et sic sunt relativa, quia intentio generis refertur ad intentionem speciei et e contra. Secundo accipiuntur pro his quae denominant, et sic accipiuntur pro illis de quibus praedicantur, scilicet pro homine et pro animali; et sic genus et species non sunt relativa, quia homo et animal, seu albedo et color non sunt relativa. Secunda distinctio est ista, quod aliquid esse in praedicamento intelligitur dupliciter, scilicet denominative et quidditative. Denominative sunt genus et species in omni praedicamento, quia in quolibet praedicamento invenitur aliquid quod est species et aliquid quod est genus; isto modo sunt relativa transcendentia et non determinati praedicamenti. Quidditative autem sunt in praedicamento relationis, quia eorum quidditas est esse ad aliud.

Ista dicta sunt satis dubitabilia. Primo quidem videtur quod genus

et species, accepta pro his quae principaliter significant, non sint intentiones in anima, quia nulla anima existente adhuc sunt genera et species. Immo videtur quod implicet <contradictionem>, quoniam eo ipso quod sunt intentiones in anima non sunt relativa, quia relativa sunt simul natura, et non potest esse unum sine alio; constat autem quod quaelibet illarum intentionum potest esse sine alia.

Item, si genus et species sunt in omni praedicamento, quia in quolibet praedicamento invenitur aliquid quod denominatur genus et aliquid quod denominatur species, sequitur quod omnia praedicamenta sunt in praedicamento substantiae, quia in eodem praedicamento est abstractum in quo est concretum; constat autem quod omnia concreta omnium praedicamentorum sunt in praedicamento substantiae denominative, quia aliqua substantia est pedalis vel bipedalis, et aliqua est alba vel nigra, et aliqua est pater vel filius, et sic de aliis.

Praeterea, si genus et species sunt quidditative in praedicamento relationis, ergo omne genus et species est relativum. Patet consequentia, quia cuiuscumque praedicamenti generalissimum universaliter praedicatur de omni eo quod est quidditative in eo, ut inductive patet. Unde, quia homo est quidditative in praedicamento substantiae, omnis homo est substantia; et quia linea est quidditative in praedicamento quantitatis, omnis linea est quantitas; et sic de aliis. Sed illud consequens est falsum: si enim omne genus et omnis species est relativum; animal et color est genus, homo et albedo est species; ergo haec omnia sunt relativa -quod est falsum et contra ipsum.

Dicendum ergo quod genus et species sunt relativa, non determinati generis neque plurium, sed sunt relativa transcendentia, pertinentia ad antepaedicamenta, ut superius dictum est. Et conceditur quod sunt simul natura, ita quod si genus est species est, et e converso. Quando vero dicitur quod genus est prius specie, verum est secundum personalem suppositionem, ad hunc intellectum, quod illud quod est genus

est prius eo quod est species. Sic etiam pater est prior filio. Sed non secundum suppositionem simplicem, ad hunc intellectum: genus ut gebus est prius specie. Sicut enim illud quod est pater est prius eo quod est filius, non tamen paternitas est prior filiatione; et secundum hoc pater ut pater non est prior filio, scilicet in esse relativo; ita animal, quod est genus, est prius homine, qui est species, tamen, quia generalitas non est prior specialitate, necesse est quod genus ut genus non sit prius specie.

§9

Assignat autem... 4,9-14 . Secunda distinctio est ista: species tripliciter definitur secundum assignationem Peripateticorum. Primo definitur species secundum quod comparatur ad genus absolute sumptum; eo modo quo iam definita est dicendo 'species est illud quod immediate ponitur sub assignato genere'.

Secundo definitur species per comparisonem ad genus ut est praedicabile, videlicet 'species est illud de quo immediate genus praedicatur in eo quod quid'. Dicitur autem 'immediate' ad differentiam individui, de quo praedicatur genus non quidem immediate, sed mediante specie.

Tertio definitur species per comparisonem ad individua, cum dicitur 'species est illud quod praedicatur solum de pluribus differentiibus numero in eo quod quid. Differt autem ista definitio ab aliis, quoniam quaelibet duarum praecedentium competit speciei in communi, haec autem tertia competit specialiter speciei specialissimae, quoniam competit speciei ⁱⁿ communi secundum quid, sed speciei specialissimae competit simpliciter. Dicitur autem competere speciei in communi secundum quid, quia ei competit solum secundum suppositionem simplicem. Non enim verum est quod omnis species praedicatur solum de pluribus differentiibus numero, propter species subalternas; sed solum

verum est quod species in quantum species praedicatur solum de pluribus differentibus numero, sive sit species subalterna sive species specialissima.

Istarum definitionum prima demonstrat secundam et secunda tertiam sic arguendo: omne illud quod immediate ponitur sub assignato genere est illud de quo genus immediate in eo quod quid praedicatur; sed omnis species est illud quod immediate ponitur sub assignato genere; igitur omnis species est illud de quo immediate genus in eo quod quid praedicatur.

Item, omne illud de quo immediate genus in eo quod quid praedicatur est illud quod secundum quod huiusmodi praedicatur solum de pluribus differentibus numero in eo quod quid; sed omnis species est illud de quo genus immediate in eo quod quid praedicatur; igitur omnis species est illud quod secundum quod huiusmodi praedicatur solum de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

Lege litteram: assignant ergo et sic speciem Peripatetici: species est quae ponitur sub genere immediate et de qua genus in eo quod quid sit praedicatur immediate. Amplius autem et sic quoque tertio definiunt: species est quae de pluribus differentibus numero solum in eo quod quid sit praedicatur. Sed haec quidem assignatio specialissimae est et quae solum species est per quam specialem attributionem; aliae vero erunt non specialissimarum, id est: competunt indifferenter secundum omnem suppositionem tam speciebus subalternis quam specialissimis.

§10

De habitudinibus generis et speciei

Notandum quod genus unam tantum habitudinem dicit, videlicet ad inferiora; et ex hoc est praedicatum et non subiectum. Species vero dicit duplicem habitudinem, videlicet ad superiora et ad inferiora. Secundum habitudinem ad superiora est subiectum, et secundum hoc datae

sunt duae primae definitiones; secundum habitudinem ad inferiora est praedicatum, et haec habitudo facit tertiam definitionem speciei, quae quidem est intelligenda cum nota exclusionis, ut ait Avicenna,⁴⁷ alioquin non posset specialiter attribui speciei specialissimae.

Ex his sequuntur duo, in quibus dubitant Avicenna et Alpharabius.⁴⁸ Primum est quod nomen 'speciei' significans pulchritudinem et formositatem est magis translatum ad speciem specialissimam quam ad speciem subalternam, quoniam maior pulchritudo et formositas invenitur in specie specialissima, in qua non est potentia neque privatio, quam in specie subalterna, in qua est potentia ad ulteriorem speciem et privatio differentiae - ipsa enim est genus, et genus est ut materia potentialis et privata.

Secundum est quod species est magis unum de quinque universalibus per tertiam definitionem quam per aliquam praecedentium, quoniam universale ut universale habet rationem praedicati, secundum illud Philosophi, I Posteriorum⁴⁹ "universale est unum in multis et de multis"; sola tertia definitio exprimit species praedicari, praecedentes autem declarant eam subici et non praedicari.

§11

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod individuum immediate ponitur sub genere, quia sicut se habet individuum speciei ad speciem, ita se habet individuum generis ad genus; sed individuum speciei immediate ponitur sub specie; ergo individuum generis immediate ponitur sub genere. Ita quod sicut iste homo immediate ponitur sub homine, ita hoc animal immediate ponitur sub animali, licet idem sit hoc animal et hic homo.

Secundo arguitur quod aliqua est species quae non immediate ponitur sub genere. Et est ratio Avicennae, quoniam punctus est species prae-

dicamenti quantitatis; et non est immediate sub aliquo genere illius praedicamenti; igitur etc. Prima pars antecedentis patet, ex eo quia punctus pertinet ad praedicamentum quantitatis et praedicatur de pluribus differentibus numero solum in eo quod quid. Secunda pars est evidens, quia quocumque genere dato praedicamenti quantitatis, illud non vere praedicatur de puncto.

Tertio arguitur quod nomen 'speciei' et prius translatum ad speciem subalternam quam ad speciem specialissimam, quia genus prius occurrit intellectui quam species specialissima et per divisione^m prius descendit in speciem subalternam quam in speciem specialissimam; ergo etc. Antecedens autem est manifestum et est ratio Avicennae.

Quarto arguitur quod species est magis universale per duas primas definitiones quam per tertiam. Quia primae definitiones competunt speciei subalternae et tertia competit speciei specialissimae, per Porphyrium in littera;⁵⁰ sed species subalterna magis habet rationem praedicamenti quam species specialissima, quia species subalterna, cum sit genus, est per se praedicatum, species autem specialissima est per accidens praedicatum, eo quod ipsa non est praedicatum nisi ratione individuorum; constat autem quod species specialissima accidit indiviuis.

Item, Aristoteles in Topicis, in quibus docet determinare de omni problemate, non docet formare problema de specie, eo quod in omni problemate species subicitur; hoc quidem competit speciei specialissimae, non autem speciei subalternae, quia ipsa est genus.

Ad primum dicitur quod aliquid esse sub genere intelligitur dupliciter, videlicet secundum formam et secundum materiam. Illud est sub genere secundum formam in quod descendit genus per differentiam formalem, et hoc est species. Illud est sub genere secundum materiam in quod descendit genus per differentiam materialem; et hoc est individuum, eo quod nec genus neque species multiplicatur in individua nisi

per divisionem materiae. Constat autem quod genus dividitur per formam et non per materiam, e contra autem species dividitur per materiam et non per formam; igitur quodlibet individuum, sive sit individuum generis sive speciei, est immediate sub specie et non sub genere.

Ad secundum respondetur quod punctus non est species praedicamenti quantitatis, cum non sit in praedicamento illo nisi per reductionem, tamquam principium quantitatis continuae. Et ad probationem dicitur quod non recipitur in argumento intellectus Porphyrii, quia in qualibet tali definitione intelligendum est universale seu praedicabile, quia hoc est illud quod dividitur in quinque praedicabilia; constat autem quod punctus non est universale neque praedicabile. Idem argumentum et eadem responsio potest fieri de unitate quae est principium numeri.

Ad tertium negatur consequentia, quia translatio nominis non habet attendi penes repraesentationem vel divisionem, sed penes similitudinem; constat autem quod cum pulchritudine et formositate corporis ma iorem habet similitudinem species specialissima quam species subalterna; ergo nomen 'speciei' prius transfertur ad speciem specialissimam, deinde ad subalternam.

Ad quartum respondetur quod sicut genus non accidit speciebus, quia est de essentia ipsarum, ita species non accidit individuis, eo quod est tota essentia individuorum, secundum Boethium.⁵¹ Ideo sicut genus est per se praedicatum respectu specierum, ita species est per se praedicatum respectu individuorum. Et si Philosophus in Topicis non format problema de specie, hoc est quia non format problemata nisi de his quae insunt speciei per se vel per accidens, et haec sunt quattuor praedicata, videlicet genus, differentia, proprium et accidens; ex quibus non sequitur quod species non sit praedicatum etc.